

23

DISSERTATIO JURIDICA
 DE
USU PRACTICO
 TITULI INSTITUTIONUM
DE HIS, QVI SUI VEL
ALIENI JURIS SUNT,

QUAM
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
 PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
 DENB. DUCATUS MAGDEBURG. GUBERNAT.
 &c. &c. &c.

PRÆSIDE
DN. CHRISTIANO THOMASIO,
 POTENTISSIMI BORUSSIAE REGIS CONSILIARIO
 INTIMO, UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ DIRECTORE AC
 PROFESSORE PRIMARIO, ET FACULTATIS JURIDICÆ
 ORDINARIO,

IN ALMA FRIDERICIANA
 IN AUDITORIO MAJORI
 D. XX. JULII MDCCXII.
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
JOANNES BURCARDUS VerPoortenn,
 COBURGENSIS.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
 LITERIS VIDUÆ CHRISTOPHORI SALFELDII,
 Anno 1723.

Diss. jur. civ.

239,4

(4

DISSERTATIO JURIDICA

DE IURE PHARMACOPOLITANO

IN REGNO BOHEMICO

DE HIERONYMO GYLLIUS VELL

DE ALLENBURGENSIS

RECTORIS MAGISTERII

RECTORIS MAGISTERII

RECTORIS MAGISTERII

DE PHARMACOPOLITANO WITHELMO

PHARMACOPOLITANO WITHELMO

PHARMACOPOLITANO WITHELMO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO

DE CHRISTIANO THOMASIO



DISSERTATIO
DE
USU PRACTICO TITULI IN-
STITUTIONUM DE HIS, QUI SUI
VEL ALIENI JURIS SUNT.

CAPUT I.
SENTENTIA ET EMENDATIO JURIS
ROMANI.

SUMMARIA.

Tribonianus divisionem hominum in cives & peregrinos omisit. §. I. Non habet ea usum practicum apud Germanos. §. II. Divisio hominum in sui vel alieni juris. §. III. Fundamentum status familiae. §. IV. Definitio hominum sui vel alieni juris. §. V. Materfam. seu uxor ad quam classem referenda. §. VI. Potestatis domestica significatus politicus. §. VII. Diversus a significatu juridico. §. VIII. Personarum sui & alieni juris plenior definitio. §. IX. Uxor est persona sui juris. §. X. Respondetur dissentientibus. §. XI. An servi recte referantur ad personas alieni juris? §. XII. Probatio Justinianea. §. XIII. Methodus Justinianea iterum notata. §. XIV. Juris vita & necis conceptus genuinus. §. XV. Distinctus plane a vulgari. §. XVI. Respondetur dissen-
A tien-

tientibus. §. XVII. Includit tamen impunitatem. §. XIIII. Savitia & humanitas accidentia sunt juris vitæ & necis. §. XIX. Juris vitæ & necis decrements. Lex Petronia. §. XX. Sub Nerone lata. §. XXI. Savitia Pollionis in servos. §. XXII. Item Demophili & Megalidis. §. XXIII. Jus vitæ & necis dominorum non quadrat ad rationem Status Monarchiarum. §. XXIV. Testimonium Seneca. §. XXV. Difficulus tamen legibus istis abrogatum jus vitæ & necis. §. XXVI. Hadriani coërcitio extraordinaria Vmbricia. §. XXVII. Leges ejusdem alia in favorem servorum. §. XXVIII. Antonini constitutio generalis. §. XXIX. Quibus casibus hic dominis jus vitæ & necis relictum. §. XXX. Culpa dominorum etiam lata hic a pœna immunis. §. XXXI. Alia constitutiones Antonini. §. XXXII. Factum Alexandri Severi. §. XXXIII. Constantini M. constitutio. §. XXXIV.

§. I.

*Tribonianus
divisionem
hominum in
cives & peregrinos omi-
sit.*



Actenus de statu libertatis & ea occasione de divisione hominum in liberos & servos. (a) Pari ratione antequam ad statum familiæ fieret transitus, sequi nunc debuisset consideratio status civitatis (b), & ostendendum fuisset, quænam intuitu juris privati inter cives & peregrinos fuerit

(a) *Pr. Inst. de jur. person.*

(b) Rationem continuationis || vide in dissert. Dn. Præf. de usu pract. distinct. in lib. & serv. c. 1. §. 3.

(c) Quæ

rit apud Romanos differentia (c). Sed Cajum suum secutus (d) Tribonianus totam illam divisionem præteriit (e).

§. II. Nos vero absque dispendio carere possumus illa divisione, partim quia nostri cives privilegiis singularibus civium Romanorum (f) non gaudent, nec gavisi sint unquam; partim quia differentia juris Romani inter cives & peregrinos intuitu juris privati apud Germanos non sunt receptæ (g).

Non habet ea usum practicum apud Germanos.

A 2

§. III.

(c) Quæ summam sunt indicatæ in *d. diff. c. 2. §. 55.*

(d) *l. 1. ff. h. t.* quanquam & in fragmento institutionum Ulpiani nihil deprehendatur de eadem divisione.

(e) Qui excusant Tribonianum, communiter afferre solent, quod divisio hominum in cives & peregrinos magis pertineat ad jus publicum, quam ad jus privatum. Sed ea quidem excusatio non sufficit: nam apud Romanos peregrini non gaudebant jure connubiorum, patriæ potestatis, hereditatis, mancipii, nexus, usucapionis, testamentorum, tutelarum, &c. vid. auctores citatos *d. §. 55. lit. g.* Peregrinorum quatuor significationes in antiquis auctoribus & libris

juris Civilis recenset Illustris Spanhemius in *indice Orbis Romani hac voce*, quod opus plura suppeditabit de usu distinctionis apud Romanos inter cives & peregrinos.

(f) Olim jus civitatis Romanæ nulli invito adimi poterat, nec retinebatur ab invito, &c. Spanhem. *d. tr. Exerc. 1. cap. 5.* Plura civium Romanorum singularia vide apud Sigonium *lib. 1. de jure civium Romanorum.*

(g) Ita regulariter apud Germanos peregrinis relinquitur patria potestas, jus mariti in uxorem, successio, testamenti factio, &c. vid. Schilteri *dissert. de jure peregrinorum adj. tract. de praxi juris Rom.* Conf. Dn. Beyer in *posit. ad instit. de jure person. n. 18.*

(h) *pr.*

*Divisio ho-
minum in
sui vel alieni
juris.*

*Fundamen-
tum status
familiae.*

*Definitio ho-
minum in
sui vel alieni
juris.*

*Materfamil.
seu uxor ad
quam clas-*

§. III. Ergo transit Imperator recta via ad statum familiae, cujus intuitu quaedam personae sunt sui juris, quaedam alieno juri subjectae (h).

§. IV. Fundamentum hujus divisionis esse familiam seu statum domesticum exinde patet, quod potestatis patriae & dominicae hic saltem fiat mentio, non illius, quae summæ potestati aut magistratibus competit in republica (i).

§. V. Ergo sui juris sunt, qui alterius potestati domesticæ non sunt subjecti; alieni juris, qui subjecti sunt.

§. VI. Cum autem familia constet ex patrefamilias, uxore, liberis, servis (k), ac de patrefamilias nullum

(h) *pr. Inst. h. t.*

(i) Hoc enim intuitu solus Princeps aut Monarcha esset homo sui juris, subditi omnes homines alieni juris.

(k) Familia componitur ex tribus societatibus simplicibus, nuptiali, paterna, herili. Habes igitur 1.) patremfamilias, qui intuitu societatis nuptialis maritus, intuitu paternæ pater, intuitu dominicæ dominus dicitur; 2.) matremfamilias, quæ pariter triplici illo diverso respectu uxor, mater, domina vocatur; 3.) filium vel filiam, 4.) servum vel ancillam. Con-

fidero vero familiam in perfectione sua. Unde non moror quæstiones inanes Aristotelicorum: an omnes hæ tres societates requirantur conjunctim ad essentiam familiae, & annon familia adfit, etiamsi deficiat societas paterna vel herilis. Vid. Dn. Præsid. *Instit. Jurisprud. div. lib. 3. c. 1. §. 12. lit. f.* Bodini assertio, ad familiam requiri minimum quinque personas, patremfamilias, matremfamilias, & tres servos, variis modis vapulat. Uti & altera, quod ad civitatem requirantur ad minimum tres familiae, i. e. tres patres-

nullum sit dubium, quin sit homo sui juris, de liberis *sem referenda* & servis vero, quod sint homines alieni juris: de matrefamilias seu uxore dubium est, quorsum referenda sit, sive textum institutionum respicias (l), sive asserta ipsorum Ictorum Romanorum (m).

A 3

§. VII.

patresfamilias, tres uxores & novem servi. Vid. B. Jacobi Thomafii *disputatio Anti-Bodiniana de minimo numero familiae itemque civitatis*. Etiam ad inanes quaestiones referenda illa de minimo numero personarum vici vel civitatis, quae plane similis videtur illi: quoto grano addito ex manipulo fiat cumulus, & ex cumulo acervus.

(l) Si enim dicas uxorem esse alieni juris, opponetur ex *princ. Instit. h. t.* quod non sit sub potestate mariti, patria vel dominica. Si dicas esse sui juris, opponetur, quod sit sub potestate domestica mariti.

(m) Sive Cajum respicias, ex cuius Institutionibus desumpta est *l. 1. ff. h. t.* & ex illa *l. 1. pr.* petitum est principium in *Instit. h. t.* sive Ulpianum in *fragmento*. Etenim in *tit. 4. §. 1.* videtur uxores referre ad personas sui juris: *sui juris*, inquit,

sunt familiarum suarum principes, id est, pater familiae, itemque mater familiae. At in *tit. 11. §. 13.* videtur inclinasse in sententiam oppositam: *minima, ait, capitis diminutio est, per quam & civitate & libertate salva, status duntaxat hominis mutatur: quod fit adoptione & in manu conventionione.* Haec ultima enim verba respicere uxores patet ex *tit. 9. Farre convenitur in manum certis verbis, & testibus decem praesentibus & solenni sacrificio facta, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Ut adeo in primo loco per matrefamilias non videatur intellexisse uxorem, sed virginem vel viduam, quae in patris potestate non est. Sic Tertullianus *de veland. virgin. Materfamiliae vocatur licet virgo, & paterfamiliae licet investis.* Conf. Oiseilium in *notis ad Gaji instit. lib. 1. tit. 5. p. 48.*

(n) Con-

*Potestatis
domesticæ
significatus
politicus.*

*Diversus a
significatu
juridico.*

*Personarum
sui & alieni
juris plenior
definitio.*

§. VII. Quid ergo dicemus? ante omnia vocabulum potestatis domesticæ ab homonymia liberandum. Si in sensu juris gentium communi seu politico eam accipias, uxor est homo alieni juris, quia subest imperio mariti in familia, eique reverentiam & obsequium debet pariter ut liberi & servi (n).

§. IIX. Sed ab hoc significato plane diversa est acceptio potestatis domesticæ juridica ac Romanis fere peculiaris, duobus videlicet requisitis constans, initio in summo vel absoluto jure coërcendi aut puniendi delinquentes in familia, seu in jure vitæ & necis; deinde in acquisitione dominii & obligationum per personas, quæ in potestate sunt, tanquam instrumenta familiæ (o).

§. IX. Igitur personæ sui juris proprie sunt, quæ alterius juri vitæ & necis aut certe coërcitioni graviori (p) in familia non subsunt, & sibi acquirunt. Alieni juris sunt, quæ alterius coërcitioni graviori in familia subjacent eique acquirunt (q).

§. X.

(n) Confer *l. 215. de V. S.*

(o) arg. §. 1. *h. t.* ubi ideo imperator dicit, servos esse in potestate dominorum, quia domini in servos habuerint jus vitæ & necis, & per servos omnia acquirant. Eadem erat olim ratio patriæ potestatis in liberos, ut DD. ad tit. de patria potestate docere solent.

(p) Hæc verba ideo adjeci, quia successu temporis, ut apparebit ex sequentibus, jus vitæ & necis salvo jure dominico & patrio dominis & patribus ademptum est, remanente tamen coërcitione graviore etiam per verbera.

(q) Coërcitio pœnalis magis spectat ad jus publicum. Jus privatum de meo & tuo agit.

Ergo

§. X. In hoc igitur significato juridico uxores sunt homines sui juris, quia mariti apud Romanos non habuere jus vitæ & necis, nec potestatem coërcendi verberibus uxores, nec uxores tanquam instrumenta familiæ maritis acquisiverunt. *Uxor est persona sui juris.*

§. XI. Uti vero responsio ad objectionem ex Ulpiano (r) differenda est ad titulum de nuptiis & capitis diminutione (s), ita argumentis eorum Jurisconsultorum, qui nostro tempore docuerunt, uxores esse personas alieni juris (t), facile ex dictis potest satisfieri (u). *Respondetur dissentientibus.*

§. XII.

Ergo intuitu juris privati personæ sui juris sunt, quæ sibi; alieni juris, quæ patrifam. in familia acquirunt.

(r) §. 6. lit. m.

(s) Quia vis illius objectionis non perspicue intelligitur, nisi prius ostensum fuerit, quid fit in manum mariti convenire, quod demum in tit. de nuptiis erit expediendum; & cur Ulpianus loco emancipationis in recensenda capitis diminutione minima posuerit conventionem in manum, quod ad tit. de capit. demin. pertinet. Interim in genere respondemus, sæpe etiam Ulpianus erravit.

(t) Ut B. Struvius *Exerc. 3. ad ff. th. 7. § 28.*

(u) Primo adducitur *l. 14. in fine, solut. matrim.* ubi dicitur, reverentiam maritis adhibendam esse ab uxoribus. Deinde *l. 48. pr. de operis libert.* ubi Hermogenianus docet, uxores in officio mariti esse debere. Sed hæ objectiones probant saltem uxorem esse in potestate mariti politica. vid. §. 7. Tertio provocatur ad *Nov. 117. c. 14.* ubi Justinianus statuit, ut maritus uxorem flagris aut fustibus verberans, exceptis causis justis divortiorum, multam pecuniariam uxori solvere debeat. Sed hic textus potius pro nostra sententia militat, quum exinde pateat, virum secundum regulam non posse verberare uxorem,

&

*An servi
recte refe-
rantur ad
personas
alieni juris.*

§. XII. Ergo personæ alieni juris sunt partim liberi, partim servi (w), etsi forte melius fecisset Justinianus, si cum Ulpiano (x) servos omisisset, utpote cum tractatio de potestate in servos potius pertinuisset ad divisionem primam hominum in liberos & servos (y); sed sequemur tamen Imperatoris methodum.

*Probatio Ju-
stinianea.*

§. XIII. Quod igitur servos attinet, in illos non solum Romano, sed & aliarum gentium jure dominis competiit jus vitæ & necis, & quodcunque per servum acquiritur, dominis acquisitum fuit (z).

§. XIV.

& causæ ad divortium facientes ad exceptionem pertineant. Denique adducuntur *canon 14. & 15. C. 33. qu. 5.* Sed quemadmodum jam quidem solliciti sumus de doctrina juris Justiniani, non Canonici, ita dicti canones nil amplius probant, quam quod uxor sit sub imperio mariti & potestate publica, & quod non debeat imperare marito. Conf. Gudelin. *de jure novissimo l. 1. c. 7.*

(w) *Per dicta §. 8. lit. o.*

(x) *In fragmento tit. 5. princ. In potestate sunt liberi parentum, &c.* Scilicet divisiones illæ duæ hominum in liberos & servos, & in sui ac alieni juris ita sunt comparatæ, ut alterutra possit

ut alterius subdivisio considerari. Ita videtur Ulpianus considerasse divisionem hominum in liberos & servos, ut summam & principalem, ac postea liberos subdividisse in personas sui & alieni juris. Posses tamen etiam incipere a posteriore, dicendo: *Homines intuitu juris privati & acquisitionis esse vel sui vel alieni juris, ac postea homines alieni juris subdividere in liberos ac servos.*

(y) Sed methodo Justiniani doctrina de servis in proponenda prima personarum divisione non fuit absoluta, sed hic demum in altera divisione hætenus interrupta continuatur.

(z) *§. 1. h. t. conf. supra §. 8.*

(a) Vid.

§. XIV. Quamvis vero caput de acquisitione per servos magis respiciat jus privatum, quam caput de jure vitæ & necis (a), saltem tamen de hoc distinctius quædam hic annotat Justinianus, rejecto illo capite ad librum secundum (b). Unde & hoc intuitu nobis sequenda est voluntas Imperatoris.

*Methodus
Justinianea
iterum no-
tata.*

§. XV. Cave igitur ante omnia, ne putes, gentes per jus vitæ & necis dominis in servos indultum intellexisse potestatem absque ulla justa causa sæviendi in corpus & vitam servorum: non magis enim jus vitæ & necis dominorum talem irrationabilem potestatem involvit, quam jus vitæ & necis, quod jure Gentium in republica summæ potestati in cives competit. Sed concesserunt gentes saltem dominis hoc ipso potestatem liberrimam coercendi & puniendi servos ad necem usque (c).

*Juris vitæ
& necis
conceptus
genuinus.*

§. XVI. Quare falluntur, qui negant, aliis gentibus etiam cognitum fuisse jus vitæ & necis, aut ex jure gentium id deduci posse (d), quin potius dominorum jus vitæ & necis in servos rationi naturali repugnare, cum regulis videlicet justitiæ repugnans & in sola impunitate consistens (e).

*Distinctus
plane a vul-
gari.*

B

§. XVII.

(a) Vid. §. 9. lit. q.

(b) Et ibi ad tit. per quas person. cuique acquir.

(c) Budæus ad l. mandatis ff. ad L. Corn. de Sicar. Gudelinus de jure noviss. l. 1. c. 7. p. 10. inf.

(d) Oiselinus ad Caji instit. tit.

§. lib. 1. p. 49. qui tamen de Lacedæmoniis testatur, eos olim habuisse jus vitæ ac necis. De Germanis videbimus cap. seq.

(e) B. Dn. Hoppe ad Instit. h. t. §. 1.

(f) Hoc

*Respondetur
dissentienti-
bus.*

§. XVII. Neque obstat (f), quod alias promissio vel expressa, vel tacita (g) a victore servis de vita conservanda data violetur. Ea enim promissio intelligenda, si probi fuerint, & salvo jure vitæ & necis (h).

*Includit ta-
men impu-
nitatem.*

§. XVIII. Neque Romanorum fuit alia intentio jus vitæ & necis dominis indulgentium, etiam haud dubie jus illud, cum summum fuerit, etiam olim impunitatem habuerit conjunctam, si domini potestate illa fuerint abusi (i).

*Sævitia &
humanitas
accidentia
sunt juris vi-
tæ & necis.*

§. XIX. Unde non apposite interpretes quidam, ut ostendant, apud alias gentes jus vitæ necisque in servos non fuisse in usu, de benignitate & humanitate earum gentium, & quod in servos non sævierint, varia afferunt (k), quum ista humanitas optime stare possit cum jure vitæ & necis, aut certe crudelitas & humanitas sint accidentia juris vitæ & necis.

§. XX.

(f) Hoc maxime opponit Hoppius.

(g) Wenn man denen Gefangenen quartier gegeben.

(h) Faciunt pro nobis verba finalia apud ipsum Hoppium, ubi fatetur, quod servi, quibus vita promissa, superveniente nova causa, jure possint interfici.

(i) Lactantius *div. instit. Epit. cap. 3.* Habet in nos non modo, ut pater, verum etiam ut dominus, licentiam verberandi,

vite ac necis potestatem. Salvianus *de Gubern. Dei lib. 4.* quum occidunt servulos suos, jus putant esse, non crimen. Seneca *de benefic. lib. 3. c. 23.* de domina a servis suis servata: *manumisit utrumque e vestigio illa, nec indignata est, ab his se vitam accepisse, in quos vitæ necisque potestatem habuisset.* Adde Grotium *de J. B. & P. lib. 3. c. 7. §. 3. cap. 14. §. 3. & 4. item c. 4. §. 10.*

(k) Ut Oiselius *d. l. pag. 49.*

(l) Ma-

§. XX. Crescente vero abusu hujus juris apud Romanos idem non subitanea quadam abrogatione, sed pedetentim in desuetudinem abiit. Etenim per legem Petroniam dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere. Oblato tamen judici servo, si iusta fuerit Domini quærela, pœnæ tradi potuit (l).

*Juris vitæ
& necis de-
crementa.
Lex Petro-
nia.*

§. XXI. Lata vero fuit hæc lex jam sub Nerone anno ab V. C. 813, ut observavit Franc. Hotmanus (m).

*Sub Nerone
lata.*

§. XXII. Scilicet & luxuria & crudelitas jam tempore Augusti ita occupaverat Romanos, ut vel ob levissimas servos interficerent, ut vel ex historia Vedii Pollionis, servos, qui vasa crystallina fregissent, murænis objici jubentis constat (n).

*Sevitia Pol-
lionis in ser-
vos.*

§. XXIII. Notum etiam est, tempore adhuc liberæ reipublicæ, ob nimiam in servos & ancillas crudelitatem par conjugum, Demophilus & Megallis, qui

*Item Demo-
phili & Me-
gallis.*

B 2 in

(l) Modestinus l. ii. §. 2. ad L. Cornel. de Sicar.

(m) de LL. Romanis hac voce. Ant. Augustinus nihil de ea observat præter locum Modestini.

(n) Fregerat unus ex servis Pollionis crystallinum: rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte; murænis objici jubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriæ causa face-

re? Sevitia erat. Evasit e manibus puer, & confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec escifieret. Motus est novitate crudelitatis Cæsaris, & illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi jussit, complerique piscinam. Fuit Cæsari sic castigandus amicus; bene usus est viribus suis. Seneca lib. 3. de Ira cap. 40. adde eund. lib. 1. de Clement. cap. 18. Tertullian. de pallio

in Sicilia sævitia sua cum aliis occasionem dederant bello servili (o).

Jus vitæ & necis dominorum non quadrat ad rationem status Monarchiarum.

Testimonium Seneca.

Difficiliter tamen legibus istis abrogatum jus vitæ & necis.

§. XXIV. Adde, quod jus vitæ & necis dominis relictum magis quadret ad formam reipublicæ popularis vel etiam Aristocraticæ, in republica vero Monarchica ratio status vix permittat, ut idem jus dominorum arbitrio, accedente potissimum & crescente indies ejus abusu, relinquatur.

§. XXV. Unde jam de suis temporibus Seneca sic retulit: quod de injuriis dominorum in servos, qui audiatur, positus sit, qui & sævitiam ac libidinem & in præbendis ad victum necessariis avaritiam compescat (p).

§. XXVI. Quemadmodum vero abusus inoliti difficiliter legibus novis tolluntur: Ita videtur etiam hæc constitutio Augusti, vel quicumque demum fuerit

pallio in fine, Plinium lib. 9. c. 23. Dionem in Augusto.

(o) Demophilus quum ingentem vim servorum cõemisset, hominum sortem, qui bello capti pristinam libertatem insveta servitute mutaverant, minime misertus, corporibus eorum notas ferro incidebat & alios in ergastula collectos agro colendo atterebat; alios ad pecus pascendum dimittebat, parcissime præbitis, sine quibus vita duci non potest. Præterea cum esset superbia & immanitate summa præditus, nullum

elabi diem patiebatur, quin aliquos servorum minimis plerumque de causis torqueret. Sed & uxor ejus, Megallidi nomen erat, pari crudelitate in ancillas servosque, qui offerebantur, sæviebat. Freinshemius in supplem. Livian. ad ann. ab V. C. 619. lib. 56. Livii cap. 30. seq. confer fragmentum ex Diodoro Siculo bibliothec. histor. lib. 34. fol. m. 706.

(p) Seneca de benefic. lib. 3. c. 22. ubi Lipsius in notis intelligit Præfectum urbi, jam ab Augusto positum. Obiter nota

ta

rit autor magistratus in favorem servorum positi, exiguos habuisse effectus. Alias enim non opus fuisset lege Petronia. Similis eventus videtur fuisse ipsius legis Petroniæ, quæ præterea etiam non omnes abusus coërcebat.

§. XXVII. Unde Hadrianus Imperator Vmbriciam matronam extra ordinem coërcevit & in quinquennium in insulam relegavit, quod ex levissimis causis ancillas acerbissime tractasset (q).

*Hadriani
coercitio ex-
traordina-
ria Vmbri-
cia.*

§. XXVIII. Idem Imperator in genere vetuit servos a dominis occidi, eosque jussit damnari per iudices, si digni essent. Vetuit etiam, ne lænoni & lænistæ servus (r) vel ancilla venderentur, causa non præstita. Tulit quoque ergastula servorum vel libertorum (s).

*Leges ejus-
dem alie in
favorem ser-
vorum.*

§. XXIX. Neque tamen & Hadriani constitutiones plenam securitatem servis dare potuerunt, unde postea nova constitutione Antonini opus fuit, jubentis, ut qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri debeat, quam si alienum servum occidisset (t).

*Antonini
constitutio
generalis.*

§. XXX. Justam vero causam intellige: v. g. si dominus servum cum uxore rem habentem comprehenderet, aut quum domino manus injicere vellet, ille servum antevertens, ferro interimeret (u).

*Quibus casti-
bus hic do-
minis jus vi-
tae & necis
relictum.*

B 3

§. XXXI.

ta abusum juris V. & N. ex tribus passionibus dominantibus humani generis ortum.

(q) Ulpianus *l. 2. in fin. ff. h. t.*

(r) Quo ipso renovavit quasi legem Petroniam, quam adeo exolevisse vel hoc indicio est.

(s) Hæc omnia referente Spartiano *in Hadriano cap. 18.* Confer Casaubon. *ibid. in notis p. m. 73. seq.*

(t) §. 2. *h. t. conf. l. 1. §. 2. & l. 2. ff. eod.*

(u) Theophilus *hic.* Puto tamen.

Culpa dominorum etiam lata hic a pœna immunis.

Aliæ constitutiones Antonini.

Factum Alexandri Severi.

Constantini M. constitutio.

§. XXXI. Ergo ex hac Antonini constitutione dominus pœna legis Corneliæ fuit affectus, si modo dolo servum interfecisset, aut ex proposito. Unde si plagis deficeret servus, dominus etiam lata culpa excedens, homicidii tamen reus non poterat postulari (w). Nam lex Cornelia dolum coërcebat, non culpam (x).

§. XXXII. Idem tamen Antoninus occasione Julii cujusdam Sabini, improbi domini, servos adversus sævitiam & libidinem dominorum tutos reddidit, rescribens Ælio Martiano, ut his casibus juberet, ut domini bonis conditionibus servos vendant, graviolem pœnam minatus, si quid in fraudem contrafacerent (y). Quam constitutionem postea alio rescripto ad libellum Alfi Julii corroboravit (z).

§. XXXIII. Quod vero subsequente seculo Alexander Severus Eunuchos, antea ab Heliogabalo & in consiliis turpibus habitos & promotos, amicis donaverit, addito elogio, ut si non rediissent ad bonos mores, eosdem licere occidere sine auctoritate judicii (a), exceptionem continet a regula (b).

§. XXXIV. Sed & has tamen constitutiones postea non semper observatas fuisse indicio est, quod Constantinus

tamen non excludi alias causas
similes vel æque graves.

(w) Paulus *libr. sentent. apud*
Auctor. Collat. LL. Mosaic. §
Rom. tit. 3.

(x) Paulus *l. 7. ad l. Cornel. de*
sicar.

(y) §. 2. *hic. Ulpian. l. 2. eod.*
Auctor Collat. d. l.

(z) *Auctor Collat. d. l.*

(a) *Lampridius in Alexandro*
Severo cap. 34.

(b) *Casaubon. in notis ibid.*
pag. m. 368.

(c) *Conj.*

tinus M. easdem partim renovaverit, partim nova ratione usus distinxerit, utrum dominus virgis vel loris (c) aut flagellis (d) castigando servum interfecerit, an vero fuste, lapide vel telo occiderit, aut cruciatibus tormentorum objecerit, veluti unguis seu unguibus, aut laminis ignitis, seu equuleo, seu fidiculis, & in ipsis cruciatibus servus defecerit (e), ita, ut priori casu dominus pœna legis Corneliæ non teneatur, etiamsi mox servus fuerit mortuus (f), posteriore vero casu dominus ut homicida puniendus sit.

(c) Constantinus *l. un. C. de emend. serv. Conf. l. 1. § 2. C. Theod. eod. tit. libr. 9. tit. 12.*

(d) Gothofredus *ad d. l. 2. C. Theod. tom. 3. p. 81.*

(e) Gothofredus *d. l.*

(f) Verba Constantini sunt: *Si virgis aut loris servum dominus afflixerit, &c. dierum distinctione sive interpretatione depulsa nullum criminis metum mortuo servo sustineat.* Ubi communiter interpretes explicant verba Imperatoris, quod iis intenderit rejicere aut limitare dispositionem legis Mosaicæ *Exod. 21. v. 20. seq.* qua si in ipsis plagis & sub manu domini, dum cæditur servus, defecisset, dominus puniebatur ob hanc

lævitiam: si aliquot dies supervixisset, non puniebatur. Adde Auctorem *Collat. LL. Mosaic. § Rom. tit. 3. ab init. § ibid. Pithœum in notis.* Putat tamen Jacobus Gothofredus *d. l.* Constantinum præterea etiam respexisse ad ipsas leges Romanas, secundum quas, inquit, *homicidii quis non tenebatur, cum læsus aut casus (ut loquitur Paulus lib. 5. sent. sub tit. ad l. Corn. de ficar.) post aliquos dies officium vitæ diuturnæ retinens decessit.* Ego putarem, magis respexisse Constantinum ad jus Romanum, quam ad Mosaicum, si modo id dixisset Paulus, quod ex ipso adducit Gothofredus. Jam vero in vulgari editione *sententiarum Pauli frustra hunc*

hunc locum quæras in *tit. ad L. Cornel. de sicariis*. Et respexit haud dubie Gothofredus ad Auctorem *Collationis Sc.* sæpius citatum, ubi in *sine tit. 2.* ista leguntur: *Paulus libro sententiarum, sub titulo ad L. Cornel. de sicariis & veneficis. Causa mortis idonea non videtur, quum læsus homo post aliquos dies officium diurnæ vitæ retinens decessit; nisi forte fuerit ad necem casus aut letaliter vulne-*

ratus. Sed præterquam quod ille locus non tam de occiso fero, quam de libero homine loquatur, (conf. Pithœum in *notis ibid.*) non attendit Gothofredus, limitationem verborum ultimorum de letalitate vulnerum, quæ pene totam regulam præcedentem tollunt. Ut taceam, Paulum hic non agere directo de pœna homicidii, sed exponere phrasin, quid sit *causam mortis præbere*, &c.

CAPUT II.

USUS PRACTICUS JURIS ROMANI
IN FORIS GERMANIÆ.

SUMMARIÆ.

An apud Germanos distinctio hominum in sui & alieni juris usum habeat. §. I. Negatur. §. II. Tam intuitu juris publici, §. III. quam privati. §. IV. Germanorum jus vitæ & necis in servos ex Tacit. §. V. Cujus locus explicatur. §. VI. Notatur explicatio Oisellii. §. VII. Postea homicidium servi pœna excommunicationis coercitum. §. VIII. Olim homicidia omnia pœna non capitali punita. §. IX. Respondetur ad objectiones. §. X. Introductio pœna capitalis Clero debetur. §. XI. Recepta jam seculo XIII. teste speculo Saxonico. §. XII. Doctrina speculatoris Suedici. §. XIII. Usus morum veterum secu-

seculo XIV. §. XIV. Et adhuc hodie in Polonia. §. XV. In Germania vero domini jure vitæ & necis carent. §. XVI. Et etiam illi, qui alibi jus vitæ & necis habent, gladio puniuntur. §. XVII. Jus hodiernum dominorum in servos mercenarios. §. XVIII. Modica coercitio hodiernum dominis permessa. §. XIX. Non tamen ubique. §. XX. Decisio casus specialis de verbis injuriosis. §. XXI. Observationes impertinentes ad usum practicum relatæ. §. XXII.

§. I.

UTi apud omnes gentes familiæ sunt, in familiis vero reperiuntur paterfamilias, materfamilias, liberi & servi; ita & apud Germanos hæ personæ fuerunt in viridi observantia; fuit etiam in viridi observantia, ut apud reliquas gentes, quod paterfamilias sit caput familiæ, cui, quamvis dispari obsequio, subsint uxor, liber, servi vel famuli; sed propterea non sequitur, distinctionem Romanam personarum in homines sui & alieni juris ad mores Germanorum posse applicari, aut in foris Germanorum habere usum (a), etsi quod sciam, nemo de hoc usu hætenus dubitaverit.

An apud Germanos distinctio hominum in sui & alieni juris usum habeat?

C

§. II.

(a) Nam jam *cap. 1. §. 7. & 8.* ostendimus, sui juris & alieni juris homines hic non denominari ab imperio domestico & obsequio patrifamilias debito, sed respici in jure Romano per hanc divisionem ad effectus plane peculiare juris vitæ & necis, & jus acquirendi per instrumenta familiæ.

(b) Huc

Negatur.

§. II. Imo, si vel paululum attentius conferas jus Romanum cum moribus Germanorum antiquis & novis, vel sensibus palpari potest, distinctionem hominum in sui & alieni juris, secundum definitiones juris Romani, nullum habere usum.

*Tam intuitu
juris publici,*

§. III. Intuitu juris publici, i. e. imperii maritalis, paterni & herilis, ac potestatis coercendi liberos & servos, etsi aliqua sit aut fuerit convenientia inter Romanos & Germanos, illa tamen convenientia fuit exigua & major ubique disconvenientia: imo ne quidem illa exigua convenientia ex jure Romano in fora Germaniæ est translata, sed debetur principiis politicis & juri Gentium (b).

*Quam pri-
vati.*

§. IV. Intuitu juris privati, quod præcipue in institutionibus considerandum erat (c), non habemus nec unquam habuimus apud Germanos personas alieni juris, sed servi & liberi nostri etiam sub parentum potestate constitui paucissima acquirunt parentibus & dominis, adeoque hoc intuitu, qui ratione juris privati præcipuus esse debet, sunt & fuerunt semper homines sui juris (d).

§. V.

(b) Huc pertinent v. g. quæ mox in hoc capite de jure vitæ & necis Germanorum veterum in servos dicemus, & quæ notabimus suo loco ad tit. sequentem.

(c) Per §. ult. J. de J. & J. Re-

pete hic iterum dicta cap. 1. §. 9. lit. q.

(d) Ut latius patebit ex dicendis infra ad tit. seq. & tit. per quas pers. cuique acquir. Ergo ostendetur etiam suo loco, totam doctrinam de peculiis & inanibus quæstionibus pragmaticis.

§. V. Quum vero hic Imperator de potestate do-
 minorum in servos & antiquo jure vitæ & necis egerit,
 age videamus & ea de re mores Germanorum. Ha-
 buisse etiam Germanos olim jus vitæ & necis probant.
 sequentia verba Taciti (e): *Verberare servum aut vin-*
culis & opere coërcere rarum: occidere solent, non disci-
plina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi
quod impune.

*Germano-
rum jus vitæ
& necis in
servos ex
Tacito.*

§. VI. Sensus horum verborum non adeo ob-
 scurus est; in eo quidem convenisse mores Germano-
 rum cum Romanis, quod dominus apud eos non fue-
 rit obstrictus ulli rationem reddere de occiso servo,
 sed tamen in eo fuisse differentiam, quod *raro verbe-*
rare soliti sint servos Germani, aut vinculis vel opere
coërcere, (quod sæpe faciebant Romani,) adeoque nec
crudelitatem erga servos exercuerint, quam hi seve-
ritatem & disciplinam vocabant, cum servos interfice-
rent. Germani contra, quando servos interficiebant,
id magis ex primo impetu, quam deliberato facie-
bant, si iram eorum provocasset servus, aut etiam
eorum jussui restitisset.

*Cujus locus
explicatur.*

§. VII. Quum autem hic sensus verborum Taciti
 pene manibus palpari possit, mirandum, fuisse inven-
 tos,

*Notatur
explicatio
Oisellii.*

C 2

pragmaticorum, v. g. an dona
 baptismalia sint peculium pro-
 fectitium, an quasi castren-
 se, an adventitium regulare
 vel irregulare, quiescere de-
 bere in jurisprudentia Germa-

nica sobria. Confer interim
 Dn. Præsidentem *not. ad Institut.*
p. 169.

(e) Tacit. *de morib. German.*
c. 25.

„(f) Oi-

tos, qui assererent, Germanos jus vitæ & necis non exercuisse (f); quasi Tacitus scripserit, verberare aut vinculis coërcere servum *haberi nefas*.

Postea homicidium servi pœna excommunicationis coercitum.

§. VIII. Postmodum Francis recepto Christianismo non amplius impune fuit, si servos proprios occiderent, sed tamen non fuit pœna capitis dictata. Sic enim legitur in capitularibus Francicis (g): *Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit.*

Olim homicidia omnia pœna non capitali puni-
ta.

§. IX. Neque id mirandum, quum leges antiquæ Germanorum & Francorum homicidia omnia saltem pecuniaria pœna, non corporali aut capitali, notaverint (h), etiam si servus liberum hominem interfecisset (i).

§. X.

„(f) Oiselius *ad Cajum* p. 79.
„Quod Cajus noster dicit, ean-
„dem apud omnes gentes do-
„minorum in servos fuisse pote-
„statem, jus nempe vitæ &
„necis, id non usquequaque
„verum est, quin patiatu excep-
„tionem. Quosdam enim po-
„pulos servos suos admodum
„humaniter tractasse constat.
„Ita de Germanis scribit Tacitus: *Verberare aut vinculis ser-
vum coërcere nefas. At vero
istud nunquam dixerat Tacitus.*

(g) *Addit. 4. ad Capitul. capit.*

48. ap. Baluz. tom. I. p. 1204.

(h) De veteribus Germanis videatur Tacitus *de morib. Germ. c. 21.* Addantur *lex Ripuar. cap. 7. seq.* (apud Baluz. tom. I. f. 30.) *Lex Alem. cap. 8.* (tom. I. f. 60.) *Lex Bajoar tit. I. c. 5. & 8.* (f. 97. seq.) *Lex Salic. tit. 37.* (fol. 303.) item *tit. 44. & 61.* (fol. 311. & 320.) *Capitulare Caroli M. quartum de anno 803. cap. ult.* (f. 398.) *Capitul. ejusdem tertium anni 813. cap. 2. seq.* item *cap. 20. seq.* (f. 511. 513.)

(i) *Lex Salic. tit. 37. art. ult.*

§. X. Unde facile responderi potest ab objectionibus ex iisdem capitularibus Regum Franciæ, in quibus mentio fit pœnæ capitalis in homicidas. Vel enim non sunt ipsorum Regum Franciæ, & a privato vel privata autoritate capitularibus insertæ (k), vel sunt dubiæ interpretationis, aut non respicientes Francos, aut exceptionem a regula continentes (l). *Respondetur ad objectiones.*

C 3

§. XI.

ult. (tom. I. f. 305.) Capitulum quartum ann. 819. c. 7. (f. 609.) Adde Schilterum ad Pandectas Exerc. 49. §. 114. seq.

(k) Huc refero, quod in libro sexto capitularium ab initio referantur excerpta quædam ex lege Mosaica, & inter illa *cap. 7. 5. 6. 11. 13.* etiam recenseantur, quæ de puniendo capitaliter homicida loquuntur. (*T. 1. f. 925. seq.*) Nam istius collectionis a libro quinto auctor est non Ansegisus, sed Benedictus Levita (*vid. T. 1. fol. 801.*) Et jam a plurimis ostensum, istam collectionem Benedicti esse confusam & ex variis centonibus, Francos & Germanos haud dubie non obligantibus, v. g. dictis SS. Patrum, Pauli sententiis, Juliani antecessoris Novellis, &c. consarcinatam.

Vide Baluzium in præfatione tomo I. præmissa §. 45. seq. Ut taceam, Lehmannum in Chronico Spirensi *lib. 2. c. 20. §. 7.* capitulum II. illius libri sexti exponere, quasi loquatur de pœna leviori domino inferenda, si servus statim fuerit mortuus. Quam tamen responsionem non facio meam.

(l) Huc refero ex capitulis Lotharii Imperatoris *cap. 1. tit. 5.* (*ap. Baluz. T. II. f. 331. seqq.*) ubi dicitur: *Si quis ex levi causa aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat.* Resp. (1) non pertinet hoc capitulum ad Francos, sed totus titulus excerptus est ex legibus Longobardicis. Et continetur hoc capitulum in *volum. leg. Longobard. lib. 1. tit. 9. lege 33.* (2) Dubium

*Introductio
pœnæ capi-
talis clero
debetur.*

§. XI. Id tamen ex istis textibus obstantibus patet, Clerum pedetentim in regno Francico & Longobardico introduxisse pœnam capitalem homicidii, persuasis videlicet Principibus, ac si pœna hæc ab ipso DEO lege universali dictata esset, ac principes in ea non possint dispensare. Quænam vero arcana politica sub hac persuasione lateant, alibi latius monstravit Dn. Præses (m).

§. XII.

bium, quid sit: *componere de vita sua*. Equidem Glossator explicat, *id est, moriatur*. Sed mihi verosimilius est, sensum esse, de vita sua cum proximis defuncti cognatis data pro more illorum temporum multa consueta tranfigat. Nam compositionis vox semper transactionem similem aut solutionem multæ pecuniariæ denotat, imprimis in illo tit. 9. passim. Adde Cangii Glossarium hac voc. (3) Est specialis dispositio de homicidio in Ecclesia commisso, adeoque si maxime de pœna capitali loqueretur, (uti in verbis ejusdem capituli sequentibus expresse dicitur, quod servus si id fecerit, interfici debeat,) esset tamen exceptio a regula. Ut taceam (4) loqui

textum de nece hominis in Ecclesia ex levi causa vel sine causa, adeoque non pertinere ad necem hominis ex gravi causa, quamvis non satis perspicue ibi distinctio inter leves & graves causas explicetur. Pertinet etiam huc ex Capitularibus Ludovici II. titul. 4. cap. 12. (dict. Tom. II. f. 361. *Qui homicidia indiscrete & presumtuose fecerit, vitæ incurrat periculum*. Sed hic prope eadem recurret responsio: Continet enim hic titulus leges militares exercitui in Italia præscriptas, & loquitur præterea de homicidio *indiscrete & presumtuose facto, &c.*

(m) *Dissert. de jure aggrat. Princ. Evang. in causis homicid. dolos. cap. 3.*

(n) *Lib.*

§. XII. Ergo jam seculo decimo tertio Collector Speculi Saxonici notavit, homicidas puniri gladio vel rota (n).

Recepta jam seculo XIII. teste Speculo Saxonico.

§. XIII. Et seculo decimo quarto Collector Speculi Suevici ex nimio amore erga jus Romanum collectioni suæ doctrinam hujus tituli immiscuit (o).

Doctrina Speculatoris Suevici.

§. XIV. Etsi adhuc eodem seculo XIV. in nonnullis civitatibus Germaniæ pœnæ veteres pecuniariæ in usu fuisse videantur (p).

Ufus morum veterum Seculo XIV.

§. XV.

(n) *Lib. 2. art. 13.* Alle Mörder und die den Pflug berauben, 2c. (versio lat. *omnes sicarii & qui aratra spoliant,*) die soll man alle radebrechen. Die einen Mann schlagen und fahen, (*qui aliquem interficit*) und den Frieden brechen, denen soll man allen die Häupter abschlagen. Adde glossam Germanicam *num. 10.*

(o) Landrecht *cap. 67.* Die Meister sprechen also, die diese Landrecht gemacht haben, dem König zu Lieb und den Nächsten zu Nutz. Wer seinen eignen Knecht zu tod schlägt, ohn Schuld und ohn Gericht, daß er ihn mit grossen Recht Gott soll gelten und den Richter büßen, ob man ihn beklagt vor einen Richter.

Man nimmt ihm billig seinen Leib darum, dann ob er eine Frauen schlug. Legendum seinen Freyen. Sensus est, homicidium servi æque puniendum esse ac homicidium liberi hominis. Addidit non sine causa Goldastus in margine §. 2. *Instit. de his, qui sui vel al. juris sunt* (p). Ita Schilterus *d. Exerc. 39. §. 17.* notat in statutis oppidi Ilmen in Thuringia anno 1350. scriptis sequentia legi: Wer den andern zu Tode schlet, der sal gebe zwey Pfund an dy Stad, und soll ein Jahr ryme. Wer auch diese vorgeschrieben Gesez nichten hildet, und darwieder thut mit bedachten Muthe, der soll dy Busse zwysfältig trage, ige
liche

*Et adhuc
hodie in Po-
lonia.*

§. XV. Quodsi igitur hodiernum alicubi, ut in Polonia (q) jus vitæ & necis in servos dominis competat, id minime pro irrationabili, vel repugnante jure divino haberi debet (r).

*In Germania
vero hodie
Domini jure
vitæ & necis
carent.*

§. XVI. Sed in Germania hodie communiter dominus servos seu homines proprios, sive deliberato sive ex impetu & ira, sive ex causa justa, sive sine ea, interficiens, pœna homicidii tenetur, partim, quod Theologia Scholastica Moralistarum persuaserit Jctos, ac si pœna capitalis homicidii dictata sit jure divino positivo universali, partim quod receptio juris Romani pœnam capitalem homicidarum corroboraverit. Atque

liche nach uren Gesetze, ane umb den Todtschlag fall man vyme ein Jahr und dy Busse zwofaltig frage.

(q) Habuerunt Poloni non solum ab antiquo jus vitæ & necis in servos suos, id est, Kmethones, seu colonos, sed & apud eosdem homicidium quodvis pœna capitali non coërcebatur, sed multa pecuniaria. Jus vitæ & necis in servos hodiernum durat. Hartknoch. *de Republ. Polon. lib. 2. c. 5. §. 13. p. 386.* Quoad pœnam homicidii variis modis quidem variaverunt statuta regni subsequenta, sed tamen & hodie-

num in plerisque casibus reman-
sisse pœnas antiquas leviores ve-
rosimile est. Vid. Joh. Harbur-
ti *Statuta regni Poloniæ sub
rubr. Homicidium.* Hartknoch.
*d. l. §. 17. pag. 400. seq. Dn.
Præsid. de jure Princip. Evan-
gelici aggrat. homicid. cap. 3.
§. 9.*

(r) Per dicta *cap. 1. §. 15. seq.*
Pœnas insuper homicidii non
capitales jam alibi Dn. Præses
vindica vit ab objectionibus
vulgi, ac si tales pœnæ mitio-
res repugnent juri divino &
rectæ rationi, in *dissert. modo
citata cap. 2. §. 5. seq. & cap. 4.
integro.* Item in *diss. de potest.
stat.*

que de eo post constitutionem Carolinam amplius non est dubitandum. (s)

§. XVII. Neque dubium est, si Polonus Nobilis per Germaniam iter faciens, quamvis mores Germanos ignorans, servum suum interfecisset, ex iisdem hypothesebus (t) haecenus domino poenam capitalem a Scabinis & JCtis Germanicis fuisse dictatam, & adhuc dictatum iri, nostra tamen sententia eundem, si non plane absolvendum (u), saltem poena mitiori coercendum esse (w).

Et etiam illi, qui alibi jus V. & N. habent, gladio puniuntur.

D

§ XVIII.

stat. legisl. contra jus commun.

§. 43.

(s) *Constit. crimin. art. 137.*
Conf. B. Hoppium *ad §. 2. t. hic.*

(t) Scilicet poenam capitis dictandam esse secundum jus naturæ cuilibet homicidæ; jus vitæ & necis dominis indultum repugnare rectæ rationi; poenas determinandas esse secundum leges loci, ubi delictum commissum; ignorantiam juris naturæ esse affectatam, adeoque non minuere poenam.

(u) Quia secundum nos falsum est, quod poena homicidii a jure naturæ dictetur, & quod jus vitæ & necis repugnet ratio-

ni; At vero jus vitæ & necis conjunctum est cum impunitate. Neque adeo Poloni in peregrinationibus jure suo utentes & statuta aliorum regnorum ignorantes, delinquant, ob deficientem animum. Ignorantia autem illa in peregrinantibus est excusabilis, quia est ignorantia legis positivæ.

(w) Ita narravit mihi Dn. Præses, in simili casu a Collegio quodam Saxonico fuisse responsum. Lipsiam venerat tempore nundinarum solennium mercator quidam, in cujus domicilio concubitus mariti cum soluta certa ac determinata multa pecuniaria puniri

*Jus hodie-
num domi-
norum in
servos mer-
cenarios.*

§. XII. Quum autem moribus communibus Germaniæ dominis jus vitæ & necis ademtum sit in homines proprios, multo minus hoc jure uti licebit adversus servos saltem mercenarios, sed & hic punientur uti homicidæ (x); imo & mercenarii, si metuant juste nimiam sævitiam dominorum, cautionem de non offendendo ab ipsis exigere poterunt (y); & dominus potestate sua vel jurisdictione nimis abutens, ea plane privabitur (z).

*Modica coër-
citio hodie-
num dominis
permissa.*

§. XIX. Modica tamen coërcitio nec hodie dominis in homines proprios & servos mercenarios denegari solet, ita, ut non solum verbis, sed & verberibus coërceri possint (a).

§. XX.

puniri solebat. Deprehendebatur a vigilibus ædes suspectas visitantibus cum scorto. Fatebatur coram judice omnia: condemnabatur ad pœnam gladii, ex hypothefi vulgari, maritum etiam cum soluta committere adulterium, & pœnam adulterio capitalem dictatam esse a Deo lege universali; ipse vero delinquens magna cum rusticitate increpabat judices, quod contra omnes honestatis regulas judicassent, atque ad multam juris patrii se offerebat. Re penitus examinata,

quum vel ex ipsa rustica hac responsione appareret, mercatorem ignorasse, bona fide, pœnas adulterio in Saxonia dictatas, multum remittebant judices a rigore prioris sententiæ, condemnantes eum pariter ad multam, sed paullo graviorem.

(x) Hoppe *d.l.*

(y) Mev. *P. 4. Dec. 19.*

(z) Philipp. *Uf. pract. Instit. ad h. t. Ecl. 43.*

(a) Jus Lubecense *lib. 5. tit. 8. artic. 10.* Ein jeglicher Herr mag sein gedingt Gesinde wegen ihrer Verbrechen wohl züchtigen

§. XX. Sed aliis tamen in provinciis & hæc potestas dominis denegata fuit (b), potissimum in urbibus. Rationem jam alibi dedit Dn. Præses (c). *Non tamen ubique.*

§. XXI. Ex dictis autem facile judicari potest, quid sentiendum de quæstione, utrum domina, famulam mercenariam honeste viventem appellans meretricem, injuriarum condemnari debeat (d)? scilicet ubi *Decisio casus specialis de verbis injuriosis.*

D 2

domi-

züchtigen, und darff davor keine Straffe leiden, soll ihm aber keine Wunde wircken, lahm schlagen noch Bein-Brüche beybringen, dann solches ist straffbahr. Ita sonant verba in editione juris Lubecensis publicata 1586. ad quod postea commentatus est Mevius. Sed nescio, qui factum fuerit, ut eodem anno publicaretur Hamburgi a D. Joachimo Kollio alia editio juris Lubecensis, magis conformis antiquis exemplaribus manuscriptis & alio ordine etiam utens, (cujus nullam mentionem quod Mevius fecerit, valde miror,) ubi iste articulus part. 1. tit. 5. cap. 34. ita effertur: So wal synen Denstbuden tüchtiget mit Schleggen, us he in synen Lehrjahren, effte Schottelwescher,

effte syn Junge, ende spricht eme övel mit Wörden, dar darff de Here kene Not umme lyden, so ferne he eme nene Wunden wercket, mit eggehafftige Wapen, und och nene Beenbrüche, öffte lehmede an eme wercket, effte en dod schlet, deit he dat, so moth he daromme lyden, wat recht is. Plura jura alia parallela citat Gisebertus in Justiniano Harmonico ad h. 1. n. 117. Conf. Stamm. de person. serv. lib. 2. c. 4.

(b) Vide statuta, quæ citat Gisebertus n. 119.

(c) Dissert. de usu practico distinct. homin. in liberos & serv. cap. 2. §. 66. & in nota lit. u. ad §. 64.

(d) Cujus casus meminit Hoppius d. 1.

(e) Unde

dominis non relicta potestas coercendi per verbera, non mirandum, si & potestas increpandi verbis durioribus & contumeliosis adempta fuerit. At ubi usus verberum indultus dominis, non video, qua ex ratione domina condemnari potuerit (e).

§. XXII.

(e) Unde miror, quod Mevius in *Comment. ad d. art. 10. Jur. Lubec. n. 16* sententiam, quæ dominam injuriarum condemnaverat ex principiis illius juris approbaverit. Quam enim verberare sine metu condemnationis poterat domina, cur non contumelioso hoc nomine vocare eam impune licuerit. Nec satisfaciunt ea, quæ Mevius ibidem adducit. *Nec obstat*, inquit, *quod de servis dicitur, iis injuriam non fieri, nec injuriarum actionem competere. §. 3. Instit. de injur. Id enim ad liberos homines, qui pro mercede serviunt, sed natura & conditione servi non sunt, non pertinet.* Sed cur tamen hi homines liberi non habent jure Lubecensi actionem injuriarum, si dominus verberibus eos coërceat? sane injuria realis gravior est verbali. Verba vero, quæ apud Mevium sequuntur, potius pro nostra sententia militant: *Hoc tamen, ita pergit, peculiare est, quod licet in dubio omnis injuria injuriandi animo illata presumatur, &c. tamen ea presumtio cessat, &c. quando percutiens vel verba quedam injuriosa dicens est magister vel dominus, (cur non etiam domina?) cui obsequium & opera debetur, &c.* Textus & interpretes juris Romani, quibus hic utitur Mevius, lubens omitto, quia ad rem non pertinent. Sed jam alibi in *d. dissert. cap. 2. §. 23. lit. o.* notatum est, Mevium jus Lubecense non ex antiquitatibus Germanicis, sed ex legibus Romanis & Glossatoribus, non laudando instituto, fere ubique explicare voluisse. Unde etiam valde dolendum est, quod in observationibus initialibus de origine juris

§. XXII. Solent quidem Dd. in apponendo usu *Observatio-*
 hujus tituli commendare regulam: expedire reipu- *nes imperti-*
 blicæ, ne quis re sua male utatur, aut exponere cau- *nentes ad*
 sas, ob quas quis cogi possit ad vendendum, aut quæ- *usum practi-*
 stionem tractare: an templa hodiernum jure asyli *cum relata.*
 gaudeant (f), sed cur ejusmodi observationes studio
 omiserimus, facile patet (g), & ea de re jam alibi
 actum est (h).

juris Lubecensis voto lectoris
 non respondeat, sed de vera ori-
 gine ac progressu legum Lube-
 censium pene nihil dixerit,
 quod ad rem faciat. Sed hi
 navi excusandi sunt, quod eo
 tempore, quo scribebat Mevius,
 antiquitates Germanicæ spissi-
 mis tenebris adhuc obvolutæ
 essent.

*Inst. h. t. Ecl. 42. Hoppium in
 Comment. ad §. 2. hic.*

(g) Nam prima regula est
 axioma politicum; secunda ob-
 servatio ad titulum de emptione;
 tertia ad tit. de asyulis, omnes
 tres ad jus publicum, non priva-
 tum, pertinent.

(h) *Dissert. de usu pract. do-
 ctrine de impedim. manumiss.
 cap. 2. §. 2. seq. p. 37.*

(f) Vide Philippi *Us. pract.*

F I N I S.



§ XXXII. Solent quidam ad invidiam alii
in universali consuetudine rebus: expedit tempore
sunt, de pace te in pace inveniunt, sed expedit
ita, ut quae quaedam sunt ad videndum, sed quae
rationem erudit: in ratione habentem sine
gondant (?), sed est inveniendi obsequium
omnibus, facile partem (?), de ea de re in
actum est (b).

in rebus est inveniendi, sed de re in
non respicitur, sed de re in
sine et progrede legem labor
causam prore: ubi dicitur
quod ad rem inveniunt, sed
non exstant hanc, quod ad
tempore, per inveniendi
omnibus inveniendi hanc
in rebus est inveniendi
(?) Vbi dicitur in rebus
est.

F I N I S

